



Ung

N-184

Occasionia N-184.
potissim in carminis gratul.
vni in
(Cafariana in alij peregrata)
Intra peregrina. ~~184~~ 184a

184a



111
116
Q. D. B. V.
BEATITUDINES
BEATI VIRI,

b. e.
VIRTUTES, MERITA, PROEMIA,
Perillustribus & Excellentissimi Domini,

DN. CASPARIS CHRISTI-

ANI de Seligmann/

Potent. Polon. REGIS & ELECTORIS SA-
XONIÆ

**CONSILIARII INTIMI,
CONSULIS**

apud Zittavienses
gravissimi,

SCHOLARCHÆ

de Gymnasio ejusdem Civitatis
meritissimi,

paulo post obitum Ejus

Anno M DCCXI. d. XVI. Aprilis hor: 11X. matut:

in
Actu Parentali

simulq;

valedictorio

pro viribus concelebrare

atq; ita

HONORI & MEMORIÆ

SELIGMANNIANÆ

ultimum debiti cultus officium

nomine

totius Gymnasii

multorum de se Meritorum memoris

prestare conabuntur

nonnulli Juvenes ingenui

ad Academiam dimittendi,

moderante

M. Godofredo Hoffmanno, R.

ZITTAVIÆ, typis Michaëlis Hartmanni.



Onstituimus Justa perficere Manibus SELIGMANNI
h. e. VIRI, quem Aula Regia & Electoralis habuit
Consiliarium Intimum, Curia Zittaviensis *Consulem*
gravissimum, Schola *Scholaracham* *providentissimum*.
Facimus ita, quæ fieri jubet grata in beatissimè Defun-
cti Virtutes & Merita pietas. *Nominis enim Selig-*

manniani Gloria, ut toti multum splendoris attulit Civitati, ita Ejusdem
Gymnasio insignem conciliavit celebritatem. Nonne honorificum est,
ex eo produsse par SELIGMANNORUM, quorum alter in Saxonie
Muneribus Ecclesiasticis summum fastigium, alter in Politicis ejusdem
& Aulicis Dignitatibus sublimem gradum attigit? Certè, si omnium
præstantium Virorum salutaria consilia, illustres Virtutum actiones ac
præclara in Ecclesiam & Rempublicam merita, literis mandanda sunt &
ad posteritatem transmittenda; multo magis eorum recolenda erit me-
moria, qui sanguinis & Patriæ communione nobis juncti sunt. Cele-
bremus itaque SELIGMANNORUM nostrorum Merita, eoque officio
alios ad industriad virtutemque propagandam excitemus. Hac quidam vice
nonnulli optimæ spei Juvenes in Academiam dimittendi, Valedictoriis
suis jussi fuerunt periculum facere in recensendis præcipuis ex vitæ his-
toria, quam vixit Perillustri SELIGMANNUS Noster. Juvenes sunt;
hinc nil nisi juvenilia h. e. immatura proferre poterunt: interim & ea
Viris benignè auscultantibus maturiora cogitandi suppeditabunt occasi-
onem. Delineare audebunt BEATITUDINES BEATI VIRI. h. e. *Vir-*
tutes, Merita & Præmia SELIGMANNI nostri, sequenti id facturi
ordine:

I. *Christian Gottlob Seligmann* / vel ideo hic loci primus est & Prologi mu-
nere fungitur, quod beatissimum SELIGMANNUM agnovit sanguine Patruum,
affectu & cura verè Patrem. Recensēbit carmine quodam summam *Vita Seligman-*
niana, simulque invitabit & Commilitones ad prosequenda cœpta, & splendidissi-
mum Auditorium ad benignè audiendum plura dicturos.

II. *Jeremias Friedrich* primam *Beati Viri Beatitudinem* Natales nimirum Ipsiis præ-
dicat, ostendendo, quam beatum sit, Parentibus nasci, qui ordinis sunt Ecclesia-
stici. Procreatus enim SELIGMANNUS noster est Patre plurimum Reveren-
do Dn. M. *Zach. Seligmanno*, t. t. Ecclesie Haynewald. Pastore, postea Zittaviæ Ar-
chidiacono in *Æde* primaria, Matre *Catharina Thomæ*, M. *Casp. Thomæ*, Pastoris
Grædicii quondam benè meriti Filia.

III. *Christian Gundlach* alteram *Beati Viri Beatitudinem* invenit in egregiis in-
genii dotibus, quales *Seligmanno* nostro divina tam largiter indulserat Providentia, ut
prima ætatis tempora satis jam testarentur, ipsum ad studia natum & ad magna
divinitus destinatum esse.

IV. *Friedrich Daniel Fabricius* tertiam *Beati Viri Beatitudinem* in domestica juven-
tatis collocat educatione, à qua tanquam delineatione prima subsequens ætatis
dependet conditio. *Seligmanni* nostri Parentes, ut ipsi veræ pietatis erant cultores,
ita deserunt operam semina virtutum, quibus colitur Deus, teneris filiorum suo-
rum mentibus instillando, & bonarum literarum studium cum pietate jungendo.

V. *Gottlob Pils* quartam *Beati Viri Beatitudinem* in scholastica institutione dex-
tra consistere adstruet. Hanc BEATUS noster factus est in Gymnasio nostro tum
docentibus *Vogelio*, *Günthero* & *Elia Weisio*, dexterrimis in erudienda juven-
tute Viris.

VI. *Christianus Augustinus Meyer* quintam *Beati Viri Beatitudinem* in pruden-
ti studiorum academicorum tractatione prædicat, quam BEATUS Noster in A-
cademia Lipsiensi an. 1672, feliciter exorsus & summa cum laude profectus est,
strenuus ducibus & agonothetus, Academiæ Professoribus, & hac Palæstra virtu-
tis

tis ac doctrinæ constanter curendo; sic, ut non modo ipse discendo, verum & docendo alios nec non publicè sæpius disputando & perorando inelauerit.

VII. **Georgius Peucker** *sextam Beati Viri Beatitudinem* in peregrinatione ad iustum finem directâ & circumspectè peractâ positam inuenit. Hanc **BEATUS NOSTER** an. 1675. suscepit curiosè lustrando Italiam, Galliam, Angliam, Belgium & potiores Germaniæ Provincias.

VIII. **Johannes Gottfried Krieger** / *septimam Beati Viri Beatitudinem* in fortunata rei familiaris cura & solerti civilium patriæ urbis dignitatum administratione constituit. Beatus noster Zittaviæ in amplissimo Senatorio Ordine an. 1681. Scabinus A. 1685. Assessor Judicii, A. 1691. Syndicus & A. 1701. Consul electus, singula more suo h. e. beatè seu dextrè & feliciter administravit. Uxorem vero sibi adunxit An. 1679. lectissimam virginem Joannam Christianam nar: Kisingiam, & superstitem unicam filiam Catharinam in matrimonium dedit. Dn. D. Alexandro Christiano Pot. Pol. Regi & Electori Sax. à Consiliis Appellationum & Senatori Liptienfi gravissimo.

IX. **Johannes Christianus Rein** *octavam Beati Viri Beatitudinem* in laudabili splendidissimorum munerum & dignitatum aulicarum functione collocatam celebrat. A Potentissimo enim Rege nostro Beatus an. 1702. Senatui Aulæ, Justitiæ & Commerciorum, & post Legationes feliciter administratas, an. 1709. numero Consiliarium intimorum clementissimè adjunctus fuit.

X. **Johann David Straupis** *ultimam Beati Viri Beatitudinem* in beata morte, quam Beatus noster obiit d. XIII. Febr. anni currentis, ponit, simulq; omnium nomine, qui Actui huic interfunt, ultimum dicit *Vale*.

Hæc sunt lineamenta Beatitudinum Beati Viri h. e. Perillustri **SELIGMANNI** nostri, quæ etsi dignè perpolire & perficere non poterunt nostri Juvenes, Auditorum tamen nobilissimorum accessum & auscultandi patientiam vel ideo sibi promittunt, quod, quam grata sit **SELIGMANNORUM** memoria, non ignorant. Eorum nunc curricula scholastica more semel recepto referantur brevissimè.

CHRISTIANUS Gundlach / **W** ratslav. Sil.

Laubam venit an: 1704. è Schola Wifensi penitus à Parentum auxilio desertus, victum & amicum aliis inserviendo inprimis informando beneficorum Parentum liberos conquirere necesse habuit. Rara enim docendi gaudet facultate; hinc ego ipse eum in partem curarum Scholasticarum mearum assumere non dubitavi, integrum per triennium ipsius in ædes & convivium meum suscepti ipsi adjutorio. Præterea maximè venerando nostro P. Primario, Dn. **HERTZOGIO** in filio quodam instituendo suam ita probavit fidem & industriam, ut vel hujus commendatione adjutus sibi auræ academicæ faventiorē promittere possit assatum. Certe non in indignum nec ingratum conferetur, quicquid Patrocinii & Beneficii in eum conferent Patroni & Benefactores, quorum Gratia, favori & amor eum ita commendo, ut simul divinam humanæ beneficentiæ remunerationem pollicear.

JEREMIAS Friedrich / **G**ryphim. Sil.

Honestis quidem Parentibus natus, iisdem verò prematurè orbatus, nil nisi indigentiam morte ipsorum cepit. Interim quo minus auxilii humani per parentes & consanguineos ipsi fuit & adhuc est, eò plus auxilii divini per externos habuit & porro expectat. Pietatis & literarum principia debet institutioni Viri erudita pietate clari Dn. **SCHWEDLERI**, cæterorumq; Præceptorum **Wifensium**, Laubam venit an. 1705. ubi in civium honestorum hospitium se ita gessit, ut tandem ipsum in domum meam receptum præfererem informationi Liberos meorum. Neq; poenitet me id fecisse: tanto enim studio & dexteritate præstanda præstitit, ut nunc sponsor sim tuis, qui idem tentare volunt, non inane fore ipsorum expectationem. Commendo itaq; optimum hunc Juvenem omnibus tuis, qui & suorum liberorum saluti per dextram consulere volunt Informatorem, & beneficia sua malè collocare nolunt. Inprimis Patrocinio & Institutioni Theologi apud Lipsiensis celeberrimi, Dn. D. **JOH. GUNTHERI** vel ideo maximè cupit esse commendatus, quod ipsi patriæ communionem junctus certiorē sibi pollicetur admissionem.

FRIDERICUS DANIEL FABRICIUS, Senftenb. Misn.

Dn. **Danielis Fabricii** Pastoris in vico Cletwitz benè meriti Filii, primum per septennium Gubensium Musarum alumnus, post Crotacæ duos annos dextra & fideli informatione & beneficentia Dn. **DÜBELII** Rectoris vigilantissimi usus, cuius & filios sub moderamine paterno informavit, An. 1707. Laubam venit, inde anno sequenti mecum Zittaviam digressus in ædibus Dn. **Friederici Schreeri** honestissimi Civis & Mercatoris celebri hospitium invenit admodum liberale. Est enim in optimo hoc Juvene præter virtutum & literarum amorem atq; studia singularis quædam dexteritas sese ad idoneam personarum, locorum, negotiorum & temporum prudentem accommodandi, & eorum, cum quibus est, sibi conciliandi gratiam: hinc spes est, fore, ut & Academiam sibi experiatu propitiam.

Goffr

Gottlob Pils/ Zittaviensis.

In publicam Scholam traditus an. 1701. ejus ferè omnes audivit Præceptores, quorum doctrinam, fidem & juveni studium grato nunc agnoscit animo. Re angusta domi pressus alterius, cum suis non poterit, esse didicit, sibiq; informando alios ea vitæ media conquisivit, quæ paternæ denegarunt ædes. Ceterum etiam fuit inter eos, qui hæcenus in *Zirneriano* Collegio ad studia se prepararunt Juridica, spe fretus, futurum, ut & ita cohatus academicos sibi reddat faciliores, Largiatur divinum Numen, ut ejus desiderio Patronorum respondeat promptitudo & studiorum progressus,

Georgius Deucker / Reichenau - Luf.

Zittaviam missus privatissima nostri Cantoris Dn. M. Zigeri Informatione eò provehebatur, ut in Gymnasium an. 1701 receptus superiorum Classium Lectiones assequi posset. Præterea Dn. M. Miro, Dn. M. Curtio b. m. Dn. M. Pischmanno & Dn. Rückero se multum debere, ut publicè prædicem, multis petiit, Inprimis sibi non parum profuisse fatetur, quod per aliquot annos licuerit esse in ædibus Dn. M. Grünwaldii: Is enim dum ipsi Filios suos tradiderat informandos, informandi consilia non pauca subinde aperuit eidem. Ceterum in singulis ita se gessit, ut nunc cum laude piisq; votis dimitti queat in Academiam.

Christianus Augustinus Meyer / Zittav.

honestis Parentibus hic natus, Patre verò Dn. Augustino Meyeri Cive & Chirurgo præmatùrè privatus matris Viduæ desiderii respondendi cupidus in Gymnasio nostro, quod an. 1700. frequentare cepit, ea, testantibus cunctis, quos habuit Præceptores, egit, quæ agi debent ab eo, qui bonæ spei vult esse juvenis. Rarò in classe locum ejus inveni vacuum, nunquam animam à Studiis alienum. Maneat itaq; talis in Academia, qualis fuit in Schola; nec ita mutabitur in ipsium Dei voluntas, Patronorum, Fautorum & amicorum propensio

Johannes Gottfried Krieger / Zittaviensis.

Dn. *Johanni Krigeri*, Viri de Chori Musici nostri Directorio benè meriti atq; sua in arte celeberrimi, Filius natus maximus. Ingenio pollet satis felici & cupiditate discendi ea, quæ intelligit sibi & patrie profutura. Informatione mea privatim usus sæpe desideravit studendi consilia, eòq; missi spem fecit, non malè collocatum iri ab ipso tempus in Academia. Faxit Deus, ut piis Parentum charissimorum desideris respondeat eventus.

Johannes Christianus Rein / Thama - Querfurt.

Patrem agnoscit Dn. *Johannem Rein*, Thama in principatu Querfurtensi Senatorem & mercatorem honestissimum, à patrie Scholæ Præceptoribus Dn. *Joh. Jacob Paupizio* & Dn. *Joh. Godofredo Thoma* fideliter instructus Laubam venit, duce ipso Parente, an. 1708. atq; eodem Zittaviam mecum digressus ædibus, convictu, privata & privatissima mea, ceterorumq; Magistrum publica, Informatione usus, in literarum, virtutum & modestiæ studio, suarum quæ intellexit partium esse, sedulo fecit. Studio Juridico se additurus ut in eo feliciter procedat & aliquando in officio civili constitutus ob oculos semper habeat conscientiosissimi illius Jcti, D. *Joh. Lauterbachii* Symbolum: *etiamsi Deum omnesq; homines celare possent, tamen nihil contra Justitiam facerem; ex animo precamur.*

Johannes David Straupis / Zittaviensis.

Parentum honestorum Filius, Gymnasio maturè traditus, prima suæ Juventutis erudiendæ beneficia se debere fatetur Institutioni Dn. *Knebelii* & Dn. *Ziegeri*, quem in Musicis, Latinis & Græcis dextrum & fidem habuit Præceptorem. Postea cæteris superiorum Classium Præceptoribus ita usus est, ut omnes nunc ipsum referant inter eos, quos beneficentia Patronorum dignos existimant. Ego Juvenem hunc in Informatione mea semper inveni attentum & discendi cupidum, ceterorumq; ob piæ modestiæ studium agnovi commendandum, dignumq; cujus inopia domestica exteriorum subleventur beneficiis.

Christianus Gottlob Seligmann / Lipsiensis.

Magni Parentis unicus Filius; Genitor enim ejus fuit Vir Magnificus & summè Reverendus, Dn. D. *Gottlob Fridricus Seligmannus*, primum Rostochienfium, deinde Lipsiensium, tandem verò Dresdensium Theologus celeberrimus, atq; Sacrorum in Aula regia ac electorali Antistes Primarius, Consiliarius Ecclesiasticus ac Protosynedrii Dresdensis Assessor. Patruus ejus erat Pæcillustris SELIGMANNUS noster. Affinis est Vir Magnificus, Dn. D. *Henr. Pippingius*, Socræ sui divi in singulis Dignitatibus exquisitissimus Successor. Satis jam quidem commendatus esset, qui tantis commendatur Nominibus: sed ipse etiam ingenio pollet admodum felici, ejus decenti cultura & usi facile suorum sitis poterit facere desiderio. Largiatur Ipsi divinum Numen, quæcumq; Seligmanniano Nominis sunt digna h. e. ab omni parte beata, *Dab. è Gymn. Zittav. d. XV. April. an. MDCCXI.*



Ung. VI 184

NO 18
NO 18



Q. D. B. V.
BEATITUDINES
BEATI VIRI,
b. e.

VIRTUTES, MERITA, PROEMIA,
Perillustriſſis & Excellentiffimi Domini,

DN CASPARIS CHRISTI-

de  Seligmann/
LEGIS & ELECTORIS SA-
XONÆ

IARII INTIMI,
CONSULIS

ad Zittavienses
graviſſimi,

HOLARCHÆ
Gymnaſio ejuſdem Civitatis
meritiſſimi,

ſculo poſt obitum Ejus
I. d. XVI. Aprilis hor: IIX. matut:

in
Actu Parentali
ſimulq;

valedictorio
ſo viribus concelebrare
atq; ita

ORI & MEMORIÆ
GMANNIANÆ

ſum debiti cultus officium
nomine

totius Gymnaſii
de ſe Meritorum memoris

præſtare conabuntur
ſonnulli Juvenes ingenui
Academiaſium dimittendi,
moderante

ſofredo Hoffmanno, R.

ZITTAVIÆ, typis Michaëlis Hartmanni.

